

Poeta und puella bei Catull, Tibull und Ovid (Holzberg)

Catull 8

Miser Catulle, desinas ineptire,  
et quod vides perisse, perditum ducas.  
fulsere quondam candidi tibi soles,  
cum ventitabas, quo puella ducebat  
amata nobis, quantum amabitur nulla. 5  
ibi illa multa cum iocosa fiebant,  
quae tu volebas nec puella nolebat,  
fulsere vere candidi tibi soles.  
**nunc** iam illa non volt: tu quoque, impote<ns, noli>  
nec, quae fugit, sectare nec miser vive, 10  
sed obstinatā mente perfer, obdura.  
vale, puella. iam Catullus obdurat  
nec te requiret nec rogabit invitam.  
at tu dolebis, cum rogaberis nulla.  
scelestā, vae te, quae tibi manet vita? 15  
quis nunc te adibit? cui videberis bella?  
quem nunc amabis? cuius esse diceris?  
quem basiabis? cui labella mordebis?  
at tu, Catulle, destinatus obdura.

Tibull 1,1,51-78

hoc mihi contingat: sit dives iure, furorem  
qui maris et tristes ferre potest pluvias.  
o quantum est auri pereat potiusque smaragdi,  
quam fleat ob nostras ulla puella vias!  
**te** bellare decet terrā, Messalla, marique,  
ut domus hostiles praeferat exuvias:  
**me** retinent vinctum formosae vincla puellae, 55  
et sedeo duras ianitor ante fores.  
non ego laudari curo, mea Delia; tecum  
dum modo sim, quaeso segnis inersque vocer.  
**te** spectem, suprema mihi cum venerit hora;  
**te** teneam moriens deficiente manu. 60  
flebis et arsuero positum me, Delia, lecto,  
tristibus et lacrimis oscula mixta dabis.  
flebis: non tua sunt duro praecordia ferro  
vincta, nec in tenero stat tibi corde silex.  
illo non iuvenis poterit de funere quisquam 65  
lumina, non virgo sicca referre domum.  
**tu** manes ne laede meos, sed parce solutis  
crinibus et teneris, Delia, parce genis.  
interea, dum Fata sinunt, iungamus amores:  
iam veniet tenebris Mors adoperta caput, 70  
iam subrepet iners aetas neque amare decebit,  
dicere nec cano blanditias capite.  
nunc levis est tractanda Venus, dum frangere postes  
non pudet et rixas inseruisse iuvat.  
hic ego dux milesque bonus. vos, signa tubaeque, 75  
ite procul, cupidis vulnera ferte viris,  
ferte et opes: ego composito securus acervo  
dites despiciam despiciamque famem.

Ovid, Amores 1,3

Iusta precor: quae me nuper praedata puella est,  
aut amet aut faciat cur ego semper amem.

a, nimium volui! tantum patiat amari;  
audierit nostras tot Cytherea preces.

accipe, per longos tibi qui deserviat *annos*;  
accipe, qui purā norit amare fide! 5

si **me** non veterum commendant magna parentum  
nomina, si **nostri** sanguinis auctor eques,  
nec **meus** innumeris renovatur campus aratris,  
temperat et sumptus parcus uterque parens, 10

at Phoebus comitesque novem vitisque repertor  
hac faciunt et **me** qui tibi donat Amor  
et nulli cessura fides, sine crimine mores,  
nudaque simplicitas **purpureusque pudor**.  
non **mihi** mille placent, non sum desultor amoris: 15  
**tu** mihi, si qua fides, cura perennis eris.

**tecum**, quos dederint *annos* mihi fila sororum,  
vivere contingat **te**que dolente mori.

**te** mihi materiem felicem in carmina praebe:  
provenient causa carmina digna sua. 20

carmine nomen habent exterrita cornibus Io  
et quam flumineā lusit adulter ave  
quaeque super pontum simulato vecta iuvenco  
virgineā tenuit cornua vara manu.

**nos** quoque per totum pariter cantabimur orbem 25  
iunctaque semper erunt nomina nostra tuis.